



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Iudaeus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

ria Episcopi illius, vide Abbatem. in *Clem. Quamvis, num. 7. de foro com. p.* ubi videtur dicere negativè, Covar. *de sponsal. 2. part. cap. 7. §. 2. numero 15.* idem Gemin. in *cap. si. juxta finem, de elect. libro 6.*

Secundò, quænam sit jurisdicção contentiosa, & quæ voluntaria, vide eundem Gemin. *loc. cit. ver. sed nunquid*, ubi dicit, quòd jurisdicção, contentiosa est illa, quæ fit in invitum, & inter partes contradicentes, vel ut dicitur, in contradictorio judicio, voluntaria quæ fit sine his, & sic Episcopus per istam voluntariam jurisdiccionem potest extra suum territorium ponere edictum, expedire citationem, modò trahatur ad locum intra suum territorium, potest delegare causas, conferre beneficia, absolvere à censuris, prout dictum est multis in locis hujus praxis.

## IUDÆUS.

PRImò, cum delinquit, ratione delicti, sortitur forum ecclesiasticum, *cap. postulasti, de judic. vide Abb. in Clem. num. 3. de testam.*

Secundò, si committit delictum sapiens hæresim, Inquisitor, seu Ordinarius potest procedere contra eum, *cap. accusatus, §. sane, lib. 6. de hæret.*

Tertiò, si crimen sacrilegii, datur præventio, *Guid. Pap. decis. 63. c. 3. num. 1. vide Sylv. in ver. Iudæus, num. 10.*

Quartò, an Iudæus publicus usarius possit condere testamentum, vide Covar. *ll. 3. cap. 3. versic. 7. var. resol. Abb. in cap. quanto, de usuris.*

## IRREGULARITAS.

PRImò, de hac materia, cum sit exuberans, vide Navar. *cap. 17. num. 195. & infra. & Summistas, in ver. irregularitas*, præsertim Reverendissimum Maiolum, Episcopum, Vulturaniensem Benevent. Provincia: in opere suo de hac materia.

Secundò, dubitatur, an qui incidit nasum, vel aurem alicuius, sit irregularis. De primo videtur, quòd si, cum sit membrum. De secundo idem sentit Navar. *cap. 27. num. 123, notab. 7.* Covar. in *Clemen. fuciosus, de homic.* est contrariæ opinionis, & ita magister meus, cum quo ego sentio, propter rationem, quia auris potius est quædam cartilago, quam membrum, Covar. *loc. cit. 3. p. num. 3.*

Tertiò, abscindendo digitum, modò non sit pollex, vel index, non incurritur irregularitas, Navar. *loc. citat. num. 206, notab. 2.* Caiet. *2. 2. quest. artic. 1.* quamvis Sot. *lib. 3. quest. 2. artic. 1.* videatur tenere oppositum: sed magister meus est cum Navarro, & ita ego etiam. Ratio est, quia cæteri digiti non dicuntur membra, sed partes, Abb. in *cap. cum illorum, num. 8. de sent. excommun.* si tamen abscinderet quis partem digiti pollicis, vel indicis, ob quam non impediretur celebratio, non esset Irregularis, & illie sic mutilatus, posset promoveri. Navar. *conf. 1. de corp. vitiat.*

Quarto, qui debilitat, seu reddit inutile membrum, vel languidum, non est irregularis, Navar. *loc. citat. num. -- notab. 9.* Soto. *loc. cit. Abb. in cap. clericis num.*